

§. 1.

**A**Ntequam verò sententiam nostram veram adducamus & à falsâ vindicemus, voces enucleemus & explicemus necessum est. Ac primò quidem Rationis nomen, quod varium admodum est, totq; recipit formas, quot vix Protheus aut Chamæleon induit. Nos, ne in recensendis iis pagellas hæc nimis gravemus, explicatione earum, sicut & originis, in præsentî supersedemus. Conferri interim in eam rem potest Magnif. Dn. D. Calovius, in opere *Phil. de Præcogn. Entis* c. 3. p. 216. Bellovius, *tract. 3. c. 208.* Martinius, in *Lex. Philol. sub hac voce.* aliq; Hoc tantum denotamus, *Intellectum, Mentem, Rationem* nos pro æquipollentibus habere, non secus ac Armandus de bello *Visu tract. 2. c. 136. p. 270.* docet: *Ratio & intellectus eadem sunt potentia realiter; sed differunt in actu. Quia intellectus dicitur, quando res sine discursu apprehendit, sed idem Intellectus dicitur Ratio, quando circa res apprehensas discurret considerando, componendo, dividendo.*

§. 2. Est verò ipsa *Facultas animæ rationalis, omnes res cognoscens, deq; rebus cognitis discurrens & iudicium formans.* Facultas dicitur Ratio, & restringitur ad solam animam humanam, tanquam proximam & principalem causam, sed per emanationem. Quamvis autem princeps ac primaria ejus sit facultas, ipsa tamen anima non est. Nam facultates animæ rationalis non tantum formaliter ac λόγῳ, sed & realiter ab ipsa anima distinguuntur. Habent enim se ut causa & causatum, & differunt ut res & res. Anima substantia est & causa efficiens: facultates verò accidentia sunt & effecta. Patet hoc ex vulgato canone: Nulla substantia creata est immediatum suarum operationum principium. Conf. Magnif. Dn. D. Calovius, *Metaph. div. part. gen. c. 13 p. 543* B. J. Martini *disp. 2. de anima* tb. 4. B. Sperlingius *Anthrop. L. 1. c. 2. q. 1. p. 112.* & *Syn. Anthr. p. 25.* Greg. de Valentia, *Com. Theol. T. 1. disp. 6. q. 3. punct. 2. col. 1406.* Paul. Voetius, *Phil. Pr. Ref. c. 27 f. 3. §. 3. p. 588.* Zabarella, *L. de facult. an. c. 4.* Conimbr. *Com. in L. 2. de an. c. 3. q. 3. & 4. & c. 4. q. 9.* item B. Scharffius, *Theor. Transc. part. gen. disp. 10. Append. iii. tb. 48. 49.* Svarez, *T. 1. disp. 18. f. 3. n. 3. seqq. p. 387.* aliqve.

§. 3. Ob-